

ferre hostibus valeant. Huius capituli, quod longissimum erat, has necessarias partes de verbo ad verbum excerpsti, pluribusque hoc loco verbis contendi, ut aliquid mihi apertius dicerent, asserens, nihil me ex hoc amplius habere, quam ex generalibus oratoris sui verbis iam diu Rome habuerimus. Tandem nihil ab eis amplius excerpere potui.

Quarto: quoad oblationem presentis presidii agunt V<sup>ae</sup> S<sup>ti</sup> infinitas gratias. Quod si V<sup>a</sup> Beat<sup>do</sup> ultra id, quod ipsi de suo conferent, et decimas, vigesimas et trigesimas, predicationes, indulgentiasque locorum suorum, quas S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> eis concedit, aliquid eis supererogaverit, promittunt id totum exponere in augmentum classis contra Turcum.

Quinto: quod<sup>1</sup> de oblatione ill<sup>mi</sup> domini ducis Burgundie gaudent. Sed videtur eis omnino necessarium esse consensum domini<sup>2</sup> régis Francie: ideo omnino<sup>3</sup> ad eum principaliter esse confugiendum pacatis<sup>4</sup> primo ut dictum est rebus regni et Romandiole.

Postremo: addunt, quod hec opera ita salubria et necessaria impediuntur propter bella Italie, et quod satis mirantur cum reverentia loquentes, quod S<sup>tas</sup> V<sup>a</sup> adeo<sup>5</sup> difficilis sit in concedenda pace Maletestis ita laudabilibus conditionibus oblatis et quod tamen dederunt sufficientem commissionem<sup>6</sup> oratori suo apud S. Vestram de respondendo in facto domini ducis Burgundie cum oratores illius venerint. In his videntur hi cives omnino<sup>7</sup> herere nec aliquid ultra dicere velle, quamquam ego multa oportune et ad factum<sup>8</sup> Maletestarum et ad negotium pacis Italice<sup>9</sup> et ad cetera responderim. Nescio an maiori instigatione atque importunitate mea moveri poterunt, ut aliquid latius aperiant. Dubito eos nihil amplius dicturos, donec V<sup>ra</sup> S<sup>tas</sup> ad hec responderit et aliud mihi mandaverit.

Non video, beatissime pater, nec satis mirari possum, cur isti domini ita difficiles sint in dicendo se velle cum Turcis rumpere, cum maximos hucusque sumptus fecerint et in classe et in terrestribus copiis, quas et paraverunt et continue<sup>10</sup> parant ac in Peloponnesum traiciunt. Preterea communis fama est apud eos omnino<sup>11</sup> rompere velle, imo multi opinantur capitaneum eorum iam rupisse. Item de creverunt mittere subsidium Ragusinis; miserunt oratorem ad Un-

<sup>1</sup> Maica in BACHMANN.

<sup>2</sup> Maica in BACHMANN.

<sup>3</sup> BACHMANN: omnimodo.

<sup>4</sup> BACHMANN: paratis.

<sup>5</sup> BACHMANN: tam.

<sup>6</sup> BACHMANN: concessionem.

<sup>7</sup> BACHMANN: omnimodo.

<sup>8</sup> BACHMANN: factam.

<sup>9</sup> BACHMANN: Italiae.

<sup>10</sup> BACHMANN: continuo.

<sup>11</sup> BACHMANN: omnimodo.